

18025-a
8 5

ADRIANI BEIERI, D.

PANDECTARUM PROFESSORIS PUBLICI
ORDINARI,
CURIÆ PROVINC. ET SCAB. ASSESSORIS,
COLLEGII JURIDICI HODIE

D E C A N I,
occasione l. un. C. de Monopol.

De

PARTE UNA, PROGRAMMA INAUGURALE.

P.P. Jena Dom. XII. Trin. d. 12. Novembr. 1702.

J E N Æ,
LITERIS WERTHERIANIS.

Giseb. Nagel



ADRIANI EPIPHRIDI.

PANDECTARVM PROFESSORIS TURICCI

ORDINARII

CHIRIC PROVINC ET SCAR VICESSESSORIS

COLLEGION TERRICCI HODIE

D E C A N I

et quodam V. et C. M. M. M. M.

PARTE UNA

PROGRAMMA INSTITUTRAE

LITERIS VERITATIMIS

1511. 1512. 1513. 1514. 1515. 1516. 1517. 1518. 1519. 1520.



I jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his quæ dñi τὸ πλεῖστον id est, ut plurimum accidunt, non quæ εἰς τὸ πλέον id est, ex inopinato: τὸ γαγάπαξ ἡ δύση, id est, Quod enim semel aut bis existit, ut ait Theophrastus, οὐδὲν περιττόν, id est, prætereunt Legislatores: verba sunt Pomponii & Pauli I Ctorum, in l. 3. & 6. ff. de LL. Sanè non est, quin jure optimo ZENO Imperator, imò necessitate urgente, suum illud de Monopolii & conventu Negotiatorum illicito, vel artificio ergolaborum nec non Balneatorum prohibitis, & passionibus illicitis Edictum, ad Constantium Præfectum Prætorio emisisse dicendus, summisque ob id laudibus evehendus sit. Ea scilicet, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur, Julianus Lib. XXIX. Digestorum dixerat, l. 64. de R. J. &, ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, Jura non consti- tuuntur. Nam, ad ea potius debet aptari Jus, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eveniunt: verba sunt Celsi in l. 4. sq. ff. de LL.

Quanto itaque sunt plures, qui agunt; quanto plura- dantur circa quæ occupantur negotia; quanto denique hec sunt necessaria magis: Tantò utique frequentius ac- cidere

cidere posse, imò oportere, planè est indubium. Ec-
quis verò cœtus in civitate numerosior est, quàm Nego-
tiantium & Fabricantium? Quid necessarium mage, quàm
manufacturæ mechanicæ, quas dant nobis *Opifices*: Ma-
teriæque, quas in earundem usum advehunt *Mercatores*?
ad quos in comparationem positi *Literati*, quibus tamen
utriusque generis officinæ negata sunt, ne computari me-
rentur quidem. *Milites*, majori forsam constabunt nu-
merò; Ast, neque semper, certè non statu Reipublicæ
ordinariò & pacatò sunt ulli, sed turbatò demum, & sic
ex accidenti: neque agunt domi, aut producunt quid-
quam, quo se commerciis immiscere, ac Paganos ullâ ra-
tione æstimare valeant. *Mercatoribus* contrà & *Opifi-
cibus* nec Miles aut *Literatus*, vel ullus homo est, qui ca-
rere possit; neque dies vel hora præterit, quâ non indi-
geat: Quam ergo putas non habere eos taxandi emun-
gendi concives cœteros occasionem oppidò pronam!
Perperam reponunt: *Paganos* & magnò esse numerò, &
versari circa victualia, longè magis quàm res artifia-
les necessaria; Plus ergò incommodi abinde expectan-
dum, majoremque subesse causam, eorum avaritiam co-
erendi. Neque deficiunt enim tenus hac quoque *Le-
gislatores*: conf. R. J. MDLXXVII. Tit. XIX. At, non
tam penes misellos ruricolas, quàm Dardanarios urba-
nos, & qui frumenta sâpè in segete adhuc virescentia co-
emunt, stat negotium monopolicum.

Alia subest virtus, quæ Paganum haut afficit, *Ava-
ritia* & emergendi supra convenientem conditionem
cupido; quando mediocri sorte nemo contentus, Opifex
gestit esse Mercator, hic porro Nobilis: Medium opor-
tunum, PE CUNIAM utrique omni querunt studiò:
non

non *Vestis* est, non *Piscis*, non *Pecten* aut *Isopellex* alia ab insidiis tutar, quin lucro mancipetur injustissimo & quod non valent singuli, junctis audent viribus ; in id unum intenti, ut pretia reddant auctiora, tam materia rum, quam manupretii : successu tanto felici magis, quanto faventiores conciliare sibi norunt *Magistratus*, qui dissimulatione vel etiam venalitate officium minus exequuntur ex debito. Non inquiram nunc prolixius, utrum in rebus etiam vilibus querantur monopolia, aut cum fructu exerceantur ? *Pecten*, an instrumentum exaudiatur, quo comantur crines ; an *Piscis* ? quem tamen ipsum jam generaliter notaverit *Zeno*. Lucri bonus odor ex re quavis ! de majoribus minor erat dubitandi ratio : Nil intactum relinqu, significare voluit Imperator ab his qui minutias etiam curant.

Rationem procedendi, pro autoritate monopolii concilianda, solùm intuebimur ; quam observare licet duplícem : Alteram *Ambilateralem*, seu copulatam, cùm diuersis, habitis conventionibus, sed illicitis, conjurando paciscendove super taxandis rerum pretiis, aut super quibusvis illicitis placitis per pacta se constringunt : v.g. Ne, quod cepit unus, perficiat alter : Ne materias manufac turis necessarias nisi a certo quopiam emant. More eò pejori & abominando magis, quod suā id autoritate audent, nec Superioris arbitrium respiciunt, nec quidquam impendere in hanc licentiam opus habent. Alteram *Uni lateralem*, seu ex PARTE UNA, ut sic dicam, & quasi absolute, qua utuntur singuli, uovouepos, seu *et i uia uicaria* einseitig/ sacrum elicendo rescriptum, aut pragmaticam sanctionem, vel saltim adnotationem : tenus hac quidem tolerabilem, dum in Principis resignant se beneplacitum

& gratiam; in effectu tamen ab illa altera nil distantem;
rurit utrinque in ararium proximi, ut nec sibi nec pu-
blico maneat idoneus.

Liceat incidenter mihi abuti hanc in rem vocibus
Rhetorum alioquin forensibus, & Jdictionem conten-
tiosam attinentibus propriis. Fateor, in l. un. C. de Mo-
nopol. negotium agi extrajudiciale, Conventionem; aut
Jurisdictionis, sed voluntarie: Impetractionem privilegii:
quibus discernendis particula *usorumq[ue]s* eapropter haud
quadrare aut sufficere poterat videri; quod conventio
& privilegium sub eodem haud comprehenduntur gene-
re; ut differentiam in eo ponamus: pars an universi ege-
rint: Atque ut privilegium plures junctim petere, nil
vetat; ita nequitam in se & suâ naturâ res est integra-
lis aut communis, eo sensu, ut solitarii impetratum, dici
queat partiale aut unilaterale; tanquam præteritâ parte
alterâ: Privatio enim presupponit habitum!

Istud tamen observare licet, vocis *usorumq[ue]s* non can-
dem esse in foro & scholis Rhetorum usurpationem; at-
que aliquando accipi formaliter, ut denotet Conflictum:
quatenus non solum plures uno concurrunt, verum re-
ciprocè per actionem, exceptionem, replicam & ita por-
ro disceptant invicem, mit abgewechselten Gesätzzen
versahren: Danturque adeò casus, ubi non nisi solitariae
positiones Partibus conceduntur, v. g. in Revisorio judi-
cio, quo dedit. Illustris Dn. Stryck. *Introduct. ad prax.*
for. Cap. XXIII. §. XXX. p. 189. circa fin. verb. unicò scri-
ptò. & §. XXII. p. 190. lin. ult. aut solum binæ. Vinn *Com-*
ment. maj. ad §. 3. 3. de Replic. fol. 857. a. pr. Aliquando
Objectivè, atque ut partiale; opponi integro seu uni-
verso. Sic Ulpiano in Lib. XXII. ad Edictum, comme-
mo-

moratur condic^tio furtiva *uovouespis*, id est unimembrie & quasi partialis.¹ Quando nimirum Fur delatum sibi jura-mentum: Furtum se non fecisse: præstiterit, condic^tia postmodum conventus, exceptione jurisjurandi se tuebitur; ut qui de toto juraverit negotio. Heres quoque illius, eadem actione conventus, eadem exceptione tutus erit, nec pati actorem Judex debet, si ceperit tentare Probare furem; adeo enim exceptio Rei judicata. Cœterum si contendat qui condicit: Quasi cum herede se furis a-gere, ad quem res furtiva pervenerit; Non debet illa ex-ceptione repellere Actor. Nec enim de Delicto nunc, sed de lucro inde residuo controvertitur; quorsum juramen-tum superius haud quadrat. Committit Reus fallaciam ignoracionis elenchi! Ad fundandam exceptionem Rei judicata, omnia oportet esse eadem, ut eveniat contra-dic^tio. I. 2. sgg. ff. de except. rei jud. cœteroquin subor-dinata simul stare possunt. Estque adeo adversus here-dem residua actio, sed *uovouespis*, id est unimembrib^s, Condic^tia rei, aut lucri. I. 3. S. 2. ff. de Jurej.

Rursus aliquando *Subjectiv*, quatenus vel solitariè vel utrinque adfuerunt persona: qualiter Paulus accipere videtur in l. f. ff. ad SCt. Trebell. ubi Fœbus, cum ad-fiscere oportuisset Polycratem, fratrem consanguineum; innixus testamento sororis germanæ, quæ solum eum instituerat, solus egisse dicitur, *uovouespis*, altera parte absente: solitudo seu partialitas non dicitur in relatio-ne ad adversarium; sed ad litis consorterit nequivit ad causam se solum qualificare: Repulsau E. passus, nec amplus auditus fuit: ac, dum exceptione hac adversarii sic fuit constrictus, ut replicatione præcluderetur, evenit accep^tio vocis quarta, *Effectiva*, cum seu Reus una actoris positi^o.

positione in universum dejicitur: seu Actor una sola exceptione Rei sic constringitur ut ulteriori allegatione præcluderetur: Appellatur id genus Alciato etiam ἐπειρησθαι, & καὶ ἐπειρουστίαν Libr. IV. dispunct. Cap. II. post med. col. 197. Condictio, aduersus quam nulla consistit defensio. Idem Lib. Parerg. I. Cap. VII. §. 10erum. 3. col. 244. med. Quod si ergo tam varia vocis μονομερῆ est acceptio, non mihi verti posse spero vitio, dum hoc eam applicare audeo: Ipse Ulpianus, ne credatur ad eam, qua ipse in d. l. 13. §. 2. ff. de Jurej. utitur, restrictam velle significationem, præmissā particulā *Quasi*, voluit inuenire: Ipsi summet aliunde isthuc deflexisse.

Equidem, qui τὸ μονομερῆ interpretantur per Sine exceptione aut replicatione, & quasi peremptoriē, Cujacio Lib. IV. Obs. XXXII. col. 92. non videntur intellexisse: Quid eo in loco esset μονομερός: nim, principaliter accipitur *subjectivē*, quatenus Fœbus non adscitō Polycrate egit: incidenter tamen & ab eventu infausto, dum ita constringebatur, ut non audiretur porrō, *Effectivē* quoque accipi sine vitio potest. Me verò Cujacium, quando pergit ibi: iure *singulari* receptum esse, ut causa appellationis agi possit & introduci μονομερός l. f. §. 4. C. de Temp. appell. cùm coeteras omnes introduci oportet cognitionaliter: aut non intelligere fateor, aut ille minus attigit scopum dicti textis. *Aut* sermo est enim de nuda appellationis apud Superiorem *introductionē*; & nihil habetur, ibi *peculiare* ab ipsius actionis primæva apud Judicem primæ instantiæ oblatione; quippe quæ & ipsa sit parte altera absente & adhuc nesciente; nec citatā quidem! nec Judex uterque agit aliud, quām ut deliberet: An seu processus indulgendum, seu appellatio recipienda. *Aut* loquitur Imperator

rator de appellatione *justificanda*, ut reverā quāque id agit; tum diem utique commeminit fatalem, seu ipsum Termi-
num *justificandū*: & nec ibi singulare quid accidit appella-
tioni, ut altera Pars eā jam tum incepit se subducat, & ab-
sentiā suā causam protrahat: Liceatque Judicii in contumia-
ciam tergiversantis *uovouespōs* statuere.

Quod porro Cujacius ait: Fœbum, qui appellavit, rectē
egisse *uovouespōs*, h. e. Polycrate adversariō absente: aut ex-
audit de actione primitus institutā: & fallitur: Victor enim
fuit; quod rectē agenti vix obtigisset. Aut de interposita ap-
pellatione: & admitto, solitariam fieri appellationem posse
ā victo: Victor sanè quod voluit, obtinuit, nec sollicitus
erit, ut appellationi admoveatur. Nihilō tamen rectius vel
hic fecisse Fœbum, patet inde, quia & hic repulsam tulit.
Forsitan igitur hoc sensit: Rectē dici: Fœbum egisse *uovouespōs*: diversa quippe sunt dicta à factis. Malē agit qui furatur,
jure tamen optimō de illo dicitur, quod furatus sit. Quod
denique Cujacius ait, vocem *uovouespōs* in *l. l. 13. §. 2. ff. de
jure*. non accipi eo sensu, qui est apud Rhetores: damus
utique! sumitur enim ibi *objectivē*, quatenus pars opponi-
tur *integro*: at Illi accipiunt *subjectivē*: quatenus seu pars
utraque, seu solum alterutra intervenit. Istud dicitur *Co-
gnitionaliter*. *l. 3. C. de Qq. sive uāzā diāyvōsīn*: hoc prout-
uspōs seu *uāzā uāzā uōzgn*. *Nov. IL pr. Nov. LIII. cap. IV.*
§. 1. med. & Nov. XC. cap. IX. vers. Si enim

Sed missis hisce verto me nunc ad id cuius gratiā in
publicum prodii, Comitia indicturus

Dn. GISEBERTO NAGEL,

Candidato iurium Clarissimo, soleānem lectionem ad
l. un. C. de Monopol. habituro: ad cuius commendationem

haud parum confert, patriam nactum esse Esslingam, libe-
ram urbem Imperialem, ad Nicrum sitam, nobili vinō ce-
lebrem, lapide uno à Stugardo, Würtembergensis Ducis
urbe palatina distantem. Sed longius hæc petita! propius
eum attinet & inde coruscat magis, tam splendidis prodūsse
familii. Natus quippe die Octobris octavō anni MDCLXXIX.
Patre cognomine, Viro meritis in patriam nostri ornatisissi-
mō, GISEBERTO inquam NAGELIO, Bremensi, Jurium
Doctore celeberrimō, prælaudata Reip. Syndicō spectatissi-
mō, qui, quamdiu in ea subsistebat conditione, Principa-
libus suis operas dicaverat omnes, easque summā industria
aque fide, & domi & foris, in diversis Legationibus ad Co-
mitia circularia, negotiaque alia præstítit: Adscitus autem
in Senatum ac Præturā functus, personam etiam, vitamque
ipsam urbi devovit, quando imperante Gallō Obses pro illa
iuit cum aliis, unde non nisi fractā sanitate redux factus,
haud ita longè pōst, d. 22. Decembr. MDCIC. occubuit.
Progenitus JO ANNE N A G E L I O, J Ctō, Serenissimo
quondam Comiti provinciali Hassiaco, Comiti item in
Wasserburg, nec non Koenigsmarkio Comiti à Consilio
laudatissimo, dudum ad cœlites evocatō; in cuius thoro
vixit LUCRETIA MAYERIA, pietate ac honestate de co-
rata maxime foemina; itidem beatè defuncta. Mater au-
tem nostri per Dei gratiam adhuc superstes, est ANNA
ROSINA, JACOBI BEUERLINI, Consulis quondam
apud Esslingenenses per plures annos méritissimi filia, Ma-
trona virtutibus sexum suum decentibus ornatisima,
viduatum suum in hisce filii profectibus haud parum so-
latura.

Ipse Noster à prima statim infantia privatum ad ve-
ram religionem ac pietatem mansuefactus, quamprimum
schola

scholæ publicæ idoneus evasit, Præceptoribus exercitatissi-
 mis commissus, sub sedula eorum manuductione ad altiora
 sensim succrevit, ac priusquam ad Academiam dimittere-
 tur, ab Ecclesiæ Diacono M. Kœnigio, Philosophiaæ primor-
 dia edoctus, tandem habitâ oratione valedictoriâ die 7. No-
 vemb. MDC IIIC. ad Academiam Tübinger seminabilegatus
 fuit, ubi studia philosophica continuavit quidem, Juridica
 tamen tam ex voto Parentum quam inclinatione suâ tra-
 ctavit principaliter; atque ordine procedens, prima ele-
 menta interpretantem audivit DN. ERNESTUM THEO-
 PHILUM MAJERUM, Institutionum ac Pandectarum
 Professorem publicum ordinarium; atque iteratò, DN.
 JOH. GABRIEL SCHWEDERUM, U. J. D. Consiliarium
 Dualem Würtembergicum, Placitorum feudalium ac
 juris publici Professorem celebratissimum. Atque ut pe-
 nitius ad fundamenta Juris penetraret, Lectiones Gro-
 tianas beati nunc DOMINI DAVIDIS SCHOE-
 NEMANNI, J. U. D. ac Professoris extraordinarii,
 juris autem naturalis ordinarii, frequentavit, cuius ipsius
 etiam scholis ad Pandectas sedulò interfuit. Revocatus
 domum, cum voto sui Parentis respondere videretur,
 Argentoratum ire jussus Kalendis Majis M DC IC. ibi-
 dem appulit, studium historicum Manuductore Histo-
 riarum Professore Mag. KUHNIO tractavit, sed aurea-
 Biennii, Notitiam item Romani Imperii proponenti
 DN. JOH. HEINR. FELZ, J. U. D. Inst. & juris publ. P. P.
 studiosius assedit. Sed felicem hunc studiorum cursum in-
 expectata mors parentis, quam mense Decembri ejus-
 dem anni contigisse jam modò diximus, interrupit, at-
 que animum haud parum turbavit. Viribus recollectis,
 ut cepta continuaret studia, Marburgensem adire con-
 stitue-

Ritueſat Academiam, ſed Francofurtum appulſus, in co-
mitatum incidit, qui ad Noricorum illam Altorffinam
celeberrimam ſecum abſtraherent, ubi & DOMINUM
FELICEM SPIZ, Codicis ac Juris Feudalis PP. & DOMI-
NUM WAGENSEILIU M utrumque Pandectas: Illum ve-
rò & Feudale juſ interpretantem audivit. Famā tamen
& amore Salanæ noſtræ traxtus, ut finem curſuſ academico
imponeret, annō ſuperiori ſe huc contulit, ac poti-
ſimū Dominorum JCtorum lectiones publicas fre-
quentavit, domi autem quæ audierat paſſim alibi, repe-
tiuit, ac tandem Collegio practico privatim ab me habito
quoque interfuit. Avocatoriis autem maternis paritu-
rus, ut cum encomio redeat publico, nomen apud Col-
legium noſtrum paucis abhiuc diebus profeffus, in Can-
didatis honorum recipi petiit, noſtrisque examinib⁹ ſe
ſubmiſit. Exantlatis igitur privatis, reſtat publicè ut ſi-
ſtamus, ac primō quidem ut Commentatorem: cui ope-
rationi textum in *I. un. C. de Monopol.* ſelegit ipſe: dies
autem à nobis dictus eſt Lunæ crastinus. Qui actus ut
debito celebretur ſplendore, praefentiam Magnifici Do-
mini Pro-Rectoris, Parrum item Academiz conscripro-
rum ceterorumque Doctorum ac Magistrorum, ut &
Generoforum, nobilissimorumq; Dominorum Studioso-
rum, Collegii noſtri nomine hac ipsa scripturā decenter
expeto, ad reciproca officia ſemper paratus. P.P. Jenæ
Domin. XXII. Trinit. d. 12. Novembr.

M DCCII,


Jena, Diss., 1702

VD -18

f



56.



ADRIANI

PANDECTARUM P
ORD
CURIAE PROVINC. I
COLLEGII J

D E C
occasione l. u.

PART
PROGRAMMA

P. P. Jenae Dom. XXII

LITERIS W

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

